*DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOX. MEDICORUM PATRONO.*

# QUÆSTIO MEDICA AGITANDA

## IN MAJORIBUS SCHOLIS CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS

## AD REGIÆ VACANTIS CATHEDRÆ DISPUTATIONEM

### A CLARISSIMIS DOMINIS DOM. DECANO ET PROFESSORIBUS REGIIS PROPOSITA ET SORTE DUCTA.

*An* Sternutamentum *bonæ valetudinis augurium?*

I.

SAGAX, ac provida rerum natura miras artes quibus vulgò ſe tuetur, & ut plurimùm ſe ſibi vindicat, adinvenit; tam fauſtè omnia dirigit, ut quamdiù ſui juris eſt, nullus fiat in animali motus, à quo ſæpè non levetur, ſivè noxia, & ingrata averſetur, ac reſpuat, ſivè utilia, & jucunda appetat, proſequatúrque. Interdùm pauliſper impedita cum adventante morbo colluctatur, cujus incurſione quandóque feliciter ſeſe liberat, alienæ haud opis indiga. Aliquandò ita ſe gerit, ut quamvis, præter ſolitum, ejuſdem actio ad morbum maximè inclinare videatur, rei tamen peragendæ tùm opportunitas, tùm œconomiæ animalis apta compoſitio, contrarium prorsùs ſuadeant, ac teſtentur. Annon parturitio ſoliùs naturæ opus? Annon vomitus qui ſordibus è ventriculo expulſis corpus exonerat, levatque, alioquin malè habiturum, ſæpè ſæpius à naturâ ipsâ proficiſcitur? Annon ſanguinis per *Hæmorrhoides*, perque muliebria loca, ſtatis quibuſdam temporibus, eruptiones, nocituri, ſi diutiùs idem ille hæreret, naturæ ſunt effectus ſalutares, ut & *Perirrhæa, Diarrhæa*, narium *Hæmorrhagia* * capitis dolorem ſolvens, *Singultus*? Eadem ipſa eſt, quæ Sternutationem facit; hâc duce partes communi officio deſtinatæ ſibi ipſis proſpiciunt, ac mutuas præbent manus, dùm concuſſione iteratâ conantur res moleſtas excutere. Sic pulmonaris fiſtula tuſſi, ſic nares Sternutatione noxia deponunt. Naturæ ſolertiam, & ſagacitatem in hiſce diverſis motibus, quorum ope inutilia, & moleſta abigit, quis non mirabitur?

* *Hipp. l. 6. Aph. 10.*

II.

ADEO intricatum eſt Sternutationis opus, ut illud incaſsùm hactenùs evolvere conati ſint; quotquot huic operam dedêre; Hinc plures Medici * quid ſit, & quomodò peragatur neſcii, Sternutationem opus mirabile jure, ac meritò arbitrati ſunt. Varias hâc de re auctorum ſententias nec recenſemus, nec refellimus, noſtram duntaxat paucis placet exponere. Sternuentis pectus altè expandi, dilatari, explicari, exindè ſubitò, ac protinùs fortiter coarctari, anguſtari, ac conſtringi, caput ad anteriora inflecti, totum penè corpus validè concuti, ſpiritum è pulmonibus violenter conſtrictis per narium cava præſertim, & os confeſtim erumpentem, noxiáque, ac naribus moleſta ſecùm abripientem, ſonum edere, propter anguſtum ſui ipſiûs exitum, nemo jam in dubium revocat. Sternutamentum quod raiò unâ vice, plerúmque bis, vel pluries ſucceſſivè contingit, ſanitatis causâ, ſolito altiorem inſpirationem eſſe credimus, quæ forti, ſubitâ, & ſonorâ aëris è pulmonibus fortiter conſtrictis per narium cavitatem præcipuè, & os confertim, ac protinùs erumpentis emiſſione, validâ totius penè corporis concuſſione, & capitis ad anteriora inflexione ſtipatur. Turpiter erraruut veteres licet exercitatiſſimi, & in praxi Medicâ feliciſſimi, * dùm Sternutamentum ab aëre ex anterioribus calefacti cerebri ventriculis trâns oſſis *Cribroſi* foramina in narium cavitatem erumpente, concitari ſtatuerunt, cùm neque ullam patere viam è cerebro in nares, nec quidpiam tenuiſſimum licet, per oſſis *Ethmoidis* foramina trajici poſſe oculorum fides doceat; quapropter Sternutationis cauſam non in cerebro, ſed in membranâ illâ mucosâ, quæ *Pituitaria* audit, reponendam eſſe arbitramur.

* *Hoffmannus l. 5. inſt. med. C. 36. Grato. Schneid.*

* *Hipp. lib. 7. Aph. 51. Galenus. Avicenna. Abeali. Rondeletius.*

III.

COMPERTUM, eſt membranam, quâ non modò conveſtiuntur binæ exteriùs patulæ narium cavitates, ſed etiam aliæ intùs latentes *Sphænoideorum*, *Ethmoideorum* turbinis in morem effictorum, *Frontalium*, & *Maxillarium* ſinuum nomine vulgò cognitæ, non ſolùm componi plurimis acinis glanduloſis multifariam intertextis mucoſo cuidam, & viſcido humori ſecernendo à naturâ deſtinatis, qui præterlabentis aëris impetu reſpirando ſenſim difflatur, vel emungendo rejicitur, ſed & eamdem innumeris filamentis nerveis exquiſito ſenſu præditis, quorum alia è mediâ *Ovalis Centri* regione educta, nervos primæ *Conjugationis* conſtituunt, qui cùm ad latera proceſsûs *Cristæ Galli* nomine donati pervenerunt, in plures tenellulas fibrillas dividuntur, quæ ut extrà *Calvariæ* ſpecum emergant, per exigua tranſeunt foramina oſſi *Ethmoidi* juxtà *Criſtam Galli* inciſa, & nares ſubeunt, ubi in pulpoſis, & tenuibus papillis ad obeunda odoratûs munia dicatis terminantur; altera verò proxima filamenta nervea è binis ramulis prodeuntibus ex utroque anteriori trunco nervorum quinti *Paris*, quod è lateribus *Protuberantiæ*, ſeu *Proceſsûs Annularis Cerebelli* procedit, emergunt; ubi autem hi ipſimet nervi per rimam *Sphæno-maxillarem* è *Calvariâ* egreſſi ſunt, per foramen peculiare, juxtà os *Cribriforme*, inciſum, *Cranium* denuò ingrediuntur, craſſamque *Meningem* penetrant; cui poſtquam exiles quaſdam fibras largiti ſunt, è *Cranio* per bina è foraminibus oſſi *Cribriformi* inciſis tranſeunt; naſumque ingrediuntur, in quo plures in fibrillas Sternutamento movendo deſtinatas diviſi, per membranam interiora illiûs obducentem diſtribuuntur; Hinc validiorem utriuſque ramuli è nervis quintæ *Conjugationis* emiſſi, & per membranam *Pituitariam* diſtributi, irritationem, proximam Sternutationis cauſam incuſamus; nec mirum, cùm unus nervorum ſextæ *Conjugationis*, & bini, rami majoris anterioris quinti *Paris*, ſurculi, juxtà utramque *Sellæ Equinæ* latus ſimul coaleſcentes, in truncum nervi *Intercoſtalis* deſinunt, qui utrinque circà originem ad poſteriora reflexus, arteriæ *Carotidi* ſubjicitur, & inter externam propriam, & adſcititiam illius tunicam rependo, è *Calvariâ* emergit, ſtatimque circà *Cervicalem Plexum Ganglioformem*, & pluribus aliis in locis non ſolùm nervis octavæ *Conjugationis*, ſed & *Vertebralibus* inoſculatur; Hinc tanta nervorum *Paris Intercoſtalis* ita dicti, quòd intrà pectoris cavitatem coſtarum radicibus accumbat, cum nervis octavi *Paris* affinitas, & communicatio habetur, ut illi lædi non poſſint, quin & iſti per conſenſum lædantur, & vice verſa.

IV.

VEL ab humore mucoſo craſſioribus, & durioribus particulis inſtructo, vel ab immiſsâ intrà nares feſtucâ, aut plumâ, vel ab adductis inter inſpirandum pulveribus Nicotianæ, Euphorbii, Hellebori, Pyrethri &c. Nervorum quinti *Paris* ſurculos, qui membranam narium interiora occupantem multifariàm ſuperſcandunt, validiùs, ac plus æquo nec irritari, nec pungi, nec vellicari poſſe neminem fugit, quin teneri, & delicatuli *Sextæ*, *Vagæ*, & *Intercoſtalis Conjugationis* nervi per conſenſum vellicentur, ac proindè ſpiritus in partes, quibus proſpiciunt, uberiùs influant; Hinc cuilibet vel leviter attendenti evidens ratio patet, cur inter Sternutandum Thorax altè dilatetur, ac diſtendatur, cùm non ſolùm *Spinales*, ſed & *Intercoſtalis Conjugationis* nervi muſculos inſpirationi ſervientes, *Intercoſtales externos*, Stenonis coſtarum *levatores*; *Serratum poſticum ſuperiorem*, *anticum majorem*, *Subclavium*, & *Septum Tranſverſum* penetrent; Pectuſque dilatatum ſubitò & validè conſtringatur, cùm iidem nervi in muſculos Thoracem conſtringentes, *Sacro-lumbum*, *Serratum poſticum inferiorem*, *Intercoſtales internos*, innumeros ferè ſurculos à ſe dimittant, qui ſpiritibus confertim influentibus turgidi, fortem, ac ſubitam Thoraci contractionem inducunt; Hinc fortis, & ſubita aëris per os, & narium cavamina eruptio, quam & à validâ, & portentosâ muſculorum *Epigaſtricorum*, & veſicularum pulmonarium contractione deduci volumus. Cuilibet præterea manifeſtum eſt, cur ſternuentes linguam palato admoveant, caput ad anteriora inflectant, adducantque, ex naribus mucus, ex ore ſalivâ, ex oculis lachrymæ exprimantur, cùm nervi quintæ *Conjugationis*, *Lacrymali*, *Salivalibus glandulis*, conterminis partibus, *Genioglosso*; *Mylogloſſo*; *Vagæ* verò, *Maſtoidi*, *Majori*, & *Minori Recto* muſculis infinitas penè propagines largiantur. Neque latet, quare cor præcipua cruoris *Anthlia*, majora vaſa validiùs pulſent, ejuſdem liquidi motus per viſcera intrà ſupremum, medium, infimumque ventrem recondita, & per omnes corporis partes intendatur, & acceleretur, humores repetitâ circuitione magis ac magis conquaſſati, & ſubacti diverſa vaſorum oſcula, varia ſubeant incernicula, quibus impuræ à puris, & inutiles ab utilibus partes facilè ſeparantur.

V.

ABERRANT qui Sternutamentum parvam *Epilepſiam*, * idque ominoſum * & inauſpicatum eſſe cenſeant, & hâc ut Sternuentes liberet, ipſiſque opem ferat, & ſalutem, à Summo rerum Opifice precentur. Quis, ſi immenſa auctorum volumina diligenter evolverit, non aliter ſentiet? Nonne docent *Sacræ Scripturæ l. 2. Reg. c. 4.* filium Sunamitidis per Prophetam *Eliſæum* à mortuis Sternutatione ſuſcitatum, & priſtinæ ſanitati fuiſſe reſtitutum? Nonne *Hippocrates l. 5. Aph. 35. Celſus l. 2. Cap. 8. Avicenna l. 3. Fen. 21. tract. 25. Cap. 24. Secundinis* expellendis, mulieribus *Hyſtericis*, aut difficulter parientibus, Sternutamentum non parùm prodeſſe conteſtantur? Quòd utero contenta portentoſis muſculorum *Epigaſtricorum* contractionibus validè preſſa faciliùs expellantur. Nonne idem medendi Magiſter *Sect. 6. Aph. 13.* Sternutamentum ſingultientibus ſuperveniens, bonum pronuntiavit? Nonne *Matthæus de Gradi part. 2. Cap. 8.* Flavedinem cutis *Ictero* contractam Sternutamentis diſcuſſam memorat? Nonne ex unanimi Medicorum conſenſu palàm eſt, ſternutationem *Apoplecticis*, *Caroticis*, *Comatoſis*, *Lethargicis*, pluribuſque aliis ægrotis, ſi tamen *Hernioſos*, inflammatione pectoris præſertim correptos, & quoſdam alios excipias, conferre, & proſperam eſſe? Quin imò cùm aliquandò mulierculæ, & Noſocomiorum incolæ ægrotantes aliquos ſternutare audiant, illicò ſpem ſalutis concipiunt, illoſque è lecto, moxque è Noſocomiis expellendos neceſſe affirmant, experientiâ forſan edoctæ, quòd Medici in morbis gravioribus & periculoſis, ſi Sternutationes, *Errhinis* etiam fortioribus adhibitis, non ſuccedant, difficilem, ancipitem, vel nullam curationem fore augurentur, propter virium nimiam oppreſſionem. Nonne *Ariſtoteles Sect. 33. l. 7. Probl. 9.* Sternutationem ſalutarem aëris emiſſionem, & indicium bonæ valetudinis eſſe affirmat? quòd quidem à naturâ monſtrante viam inſtituatur ad eliminanda, quibus nares afficiuntur, incommoda. Nonne demùm Sternutamentis cerebrum allevari, ſenſuum hebetudinem removeri, corpus expeditius, liberiorem animum & alacriorem, ſenſus acutiores fieri quotidiana probat experientia? Quid plura? Cùm ægris æquè ac ſanis Sternutamentum, ſi ſecundùm naturæ leges fiat, plurimùm conferre, & proſperum eſſe evincat ratio, jure concludimus.

* *Avicenna l. 3. Fen. 5. tract. 2. C. 3. Riolanus. Untzerus.*
* *D. Hieronymus XI. tract. part. III. Epiſt. LVII.*

*Ergò* Sternutamentum *bonæ valetudinis augurium?*

F.H.P. BIBLIOTHEQUE

*Proponebat Cadomi* NICOLAUS DESLONCHAMPS, *Cadomæus, Univerſitatis Monſpelienſis Doctor Medicus, die Sabbathi 14. Julii, A. R. S. H. M. DCCXXXI. ab horâ primâ ad veſperam.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, ſolum Regis, & Univerſitatis Typographum.